

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE
CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De provecta latinitate*. — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libelliarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1039, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi
 ROMAE in ITALIA
 in foro Campi Martii, 6



PONTIFICIA OFFICINA
CANDELARUM AD SACRA
 cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X
 honores addidere

Candela ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios
etque in Australiam exportantur.



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-
 delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,
 et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae
 in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candelarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 cen-
 tens Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-
 centis saltem cerae Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum
 dorso (viginti dierum iter) facilime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglicana, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Maiis M DCCCCIX.

Num. V.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- Ius naturale et regimen legale proprietatis privatae.
- De re litteraria apud Subalpinos. — De eloquentia: Maximus Tapparelli e Marchionibus Azelii.
- Horatii doctrina de arte poetica in *Epistola ad Pisones*.
- Ex Batalia: De certamine poetico Hoeufftiano in annum MCMX in dicto.
- De regicidio Ulyssiponensi. — Carmen ALFONSI M. CASOLI S. I. in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum an. MDCCCLIX.
- Colloquia latina.
- Pinacotheca Vaticana laudatorum operum accessione aucta atque in nova sede collocata.
- Ioanna de Arc inter caelites relata.
- Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Varia.
- Annales. — Balkanica quaestio pro tempore saltem composita. - Turcarum seditio. - Hora postrema.
- Publici per orbem coetus legibus ferendis.
- Per orbem.
- Iocci.
- Aenigmata.
- Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit L. F.).

IUS NATURALE

ET REGIMENTUM LEGALE PROPRIETATIS PRIVATAE⁽¹⁾

Iure naturae postulatur ut res possidenda sive privatum sive in commune, non detorqueantur a suo fine immediato et intrinseco, qui est ut inserviant ad usum omnium hominum.

Propterea, regimen quodvis inducatur et ex quo libet iure, nunquam potest huic fini obesse; secus, inficitur ipsum ius naturae.

Oportet igitur, etiam sub regime proprietatis privatae, hunc finem rerum possidendarum obtineri.

Inde consequitur: 1º in casu extremæ necessitatis, quando scilicet aliquis extreme indiget bonis immediate necessariis ad suam suorumque sustentationem, seu bonis immediate necessariis naturae humanae, utitur iure suo si, eo deficiente qui dare velit, sumat ex bonis alienis unde se suosque eripiat a tali necessitate. Nec, secundum doctrinam catholica, talis apprehensio est furtum.

Consequitur: 2º etiam sub regime possessionis privatae, pertinet ad auctoritatem civilem, tales decernere et urgere leges positivas, seu determinaciones concretas iuris naturalis, ut fini immediato et intrinseco bonorum possessorum (qui est ut omnes ex iis vivere valeant), nullum detrimentum inferatur. Hoc enim est primum et principale munus auctoritatis civilis, ut iuri naturae nihil detrahatur per leges positivas.

Munus insuper est auctoritatis civilis ut, in omnibus conductis humanis, tum privatis, tum publicis,

(1) Quod clarissimus olim Leodiensis, nunc Urbanus *sociologiae* professor, qua est humanitate, concesserit ut acroases eius nonnullae in nostris paginis vulgarentur, *Vox Urbis* publicas agit et habet.

finis praedictus bonorum privatum possessorum redigatur ad actum, pro humanarum rerum conditione, magis magisque perfectum.

Propterea si complexus legum civilium quae, rebus producendis, ad invicem transmittendis, distribuendis et usucapiendis praesunt, tam imperfectus sit, sive laxando nimis, sive nimis cohobendo libertatis habenas, ut quidam cives, vel quidam civium coetus iam non valeant de rebus percipere quantum requiritur ad decentem victimum cultumque sibi suisque procurandum, oportet aliis legibus magis opportunis atque institutis perfectioribus, illud regimen civile, iuxta regulas quidem prudentiae politicae, ad meliora reducere, illasque reformationes decernere et urgeare quae ad talem finem perducant.

Ordinatio autem naturae, iure divino positivo confirmata, postulat ut homines valeant labore sibi comparare ea quae necessaria sunt ut quisque non inconvenienter vivat, iuxta illud Genesis dictum: « In sudore vultus tui vesceris pane ».

Iamvero si conditions humanae hic et nunc concretae attendantur, appareat, teste Leone XIII in encyclica *Rerum novarum*, « infimae sortis hominum partem maximam in misera calamitosaque fortuna indigne versari ».

Quod autem haec proletariorum conditio pendeat etiam a mendosa iuris positivi humani ordinatione, certum est ex rei natura. Multae enim leges civiles insunt in regenda productione, commutatione, distributione et usucaptione bonorum temporalium tum privatorum tum publicorum. Idem appetat ex verbis Leonis XIII in encyclica *Rerum novarum*. Asserit Pontifex commutationum studia quae « a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus defluxe-

runt», genuisse certamen hodiernum in quo tam deterior est conditio opificum.

Haec melior ordinatio regiminis legalis quae hodie expostulatur ab auctoritate civili, pertinet ad virtutem specialem iustitiae legalis seu socialis, cuius obiectum formale est bonum commune et subiectum, princeps consortio civili praepositus.

Propterea est accurate distinguendum inter ius naturale proprietatis privatae et regimen civile proprietatis privatae. Primum inconcussum inviolatumque servari oportet; alterum in melius esse vertendum in hodiernis adjunctis est necessarium.

A. POTTIER.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

DE ELOQUENTIA

Maximus Tapparelli e Marchionibus Azelii.

Anno octingentesimo nono et quadragesimo supra millesimum, postquam ad Novariam a Subalpinis, adverso marte, pugnatum est adversus Austriacos, Carolus Albertus, vi rerum hominumque coactus, Victorio Emmanueli filio regnum tradidit, atque a suis secedens, in extremam Lusitaniae regionem moriturus se contulit. Quam ob rem Subalpinorum salutis et dignitatis praesidium novo regi creditum est atque commissum, qui brevi post tempore, praeter omnium opinionem, Maximum Tapparelli nobilem Azelii ad summa rerum gubernacula vocavit.

Hic Taurinensis, antiqua patriciorum domo prognatus, non modo apud Subalpinos notus erat, sed scriptis ingenique virtute in omni Italia iamdiu inclaruerat. Iuvenum Subalpinorum nobilium morem sequutus, pene puer militiae nomen dederat. Sed picturae desiderio abreptus, vacatione obtenta, Italiam peragravit, Romaeque diu versatus est. In Urbe maximas iniit amicitias, neque ab illis abstinuit, qui illa periculosa tempestate iniquo sese ac teterrimo sacramento obstringerent ut in principes et in ipsam religionem insidias struerent. Ipsi enim, libertatem adepti per foras, per conciliabula, tenebris latebris erumpentes, volitabant, coniurati veterem compagem laxare, qua civilis hominum consociatio continetur. Eorum forte iureirando ipse nunquam initiatus fuit, sed cum ipsis palam foedus coniunxerat; quo facto, exaradente bello in Austriacos, militare munus fungens, prohibente Pontifice maximo, copiarum eius ductor ad Vicentiam strenue pugnavit, atque dein semper egregiam operam Italiae libertati navavit. Vir cete-

roquin integer natura adparebat, et nulla in re nimius esse videbatur quam bonus rectusque. Quin imo primus Italorum eques, honoris gratia, seu potius adulationis, pree ceteris passim fastidiose salutabatur.

Multa sane atque egregia facinora egisset, si meliora tempora nactus esset, et familiae praceptis institutionis mordicus ex ingenio haesisset.

Ipsi, florente adhuc aetate, ad civium commoditatem contendenti, nihil aptius et laudabilius videbatur, quam libertatem atque humanitatem fovere, eosque ad supremum felicitatis fastigium provehere. Eo autem tempore, tranquillatis iterum italicis rebus, post Hetruriae Urbisque tumultum, multi ex diversis locis, quasi e composito ad Augustam Taurinorum confluebant, quae exsulantibus perfugium securius omnibus videbatur. Quorum opera bonae Subalpinorum artes, nullo prorsus coercente, a vetere gloria desciverant.

Res publica, quae iterum florescere cooperat, virorum aliquot improbitate atque audacia ita corrumpebatur,

ut pene ad interitum redigi videretur. Tunc ipse pacem in civitatem reducere totis nervis studet cum gloria, post immanem Novariensem cladem, maculam delendo, quae in gentis Subalpinae nomine insedebat.

Eheu! Quae nuper civibus passim bona promittebantur, veluti divina virgula expuncta evanuerant, et si antea prospera cuique portendebantur ut illud Vergilii mutuares: *Aspice venturo laetentur ut omnia seculo!* miseria undique aderat, ultima cives premebant.

Ad haec multi undique scriptores inepti adsurgebant, qui, munere libertatis pro arte Guttembergae perverse usi, veluti agmine facti, in Taurinensem Ecclesiastim improbe inquirere cooperunt, eius sancta iura in reprobum sensum vertere, insimulare divinos religionis mores castosque, omni fere die turpiter atque impune laedere, duris insuper verbis pravisque insultare.

Quo nomine hand munus *immortale* adhuc adpellabo artis Guttembergae libertatem, quum eius praesidio ac tutamine tot vulnera religioni honestisque viris inferantur.

Vah! apage a nobis beneficium huiusmodi, quod tot malis civitatem perturbat religionisque vultum horribile lacerat.

Osores nominis christiani vel ipsum Taurinensium Pontificem, Aloysium Fransoni, in carcерem primum detrusum mox in exilium publice compulerunt.

Haec omnia fiebant, ipso consule, inscientia saepe praecipientium et oblione moris antiqui. Dolendum sane quod vir sanctissimus moribus instructus verbis suis et opere illuc niteretur ad atavorum religionem miserrime atque inconsulto apud nos evertendam. Ipse enim totus in rebus civilibus componendis distentus, parum aut nihil cetera curabat quae ad Ecclesiae iura attinebant. Quae malorum colluvies ei est referenda!

Ad eloquentiam hominis quod attinet, scito ipsum facilem semper oratorem adfuisse, vel quum ad senatum loqueretur, vel quum ad oratores a populo delectos, quorum erat de legibus ferendis decernere. Unum desiderabatur, incorruptus ille eloquentiae succus, amor religionis scilicet atque patriae; quoniam oratores ad ineptias plerunque atque ad bellum adversus christianis nominis inferendum abibant.

Et Maximus Tapparelli haud magnis doctrinarum praesidiis institutus, et una vi ingenii ad dicendum, si peccat identidem in rerum doctrinam ac sanctitatem, ita talem in comitiis versari coepit, ut apte semper, distincte, ingeniose, sin minus sapienter copiose splendideque loqueretur. Nec cum alio componi posse arbitrabor, sed densior nunc appetat, nunc et copiosior, nunc pro re nata adstrictior, nunc latior; nunc acuminis pugnat, nunc verborum pondere, ut ipsi nihil detrahi vel adiici possit. Salibus quoque indulget et aliquando commiserationi. Praesertim laudandus est ubique, quod stilum prudenti ratione rebus et hominibus pulcherrime accommodavit.

Non erat in verborum splendore admirandus, sed compositione aptus, facultate copiosus, eaque erat cum ingenio, tum exercitationibus consequutus. Eius orationes pronunciatae placebant, nec minus quum legerentur. Omne sane punctum tulisset, si cum peritissima actione dicendi rectam sanctamque religionis sapientiam coniunxisset. Mirum sane quod ipse nullius scholae alumnus germanam illam orationis popularis rationem apud nos invexerit atque sit consequitus, quemox ita crescere coepit et paullatim ad summum pervenit. In eo saepe incurrit et brevia dicta atque aculeata, incitata diverbia, imaginum granditas atque altitude sententiarum, quae audientium animos percellunt, et vim quamdam atque admirabilem huiusmodi oratori conciliant.

Multa quoque conscripsit volumina, sed ipse, unus e perpaucis, vultum ubique suum servavit, et varius quidem et multiplex, sed nunquam sui dissimilis apparet. Nihil praeterea nisi vernaculum et italicum depingit; sive de se scribat sive fabulas milesias narret. Namque fuit et fabularum milesiarum auctor, nec minime aspernendus. Quorum argumentum, mira sane audentia, e patrio peno, seu de Italorum historia semper depromsit. Nec culpantur in homine frequentes a proposito declamationes, turgidum scribendi genus, acumina declamatoria, et inepta rerum minimarum amplificatio. Laudantur e contrario acutae quadam clarissimaeque sententiae, graphicae atque elegantes pugnarum, urbium et locorum descriptiones, dictio satis pura et recens, magna ingenii vis, postremo animus ardens et concitatus, qualis inuenem decuit, qui, pro italica libertate vindicanda, vel potentissimos principes acute proscindere non dubitabat. Verum sit ei maxima eidemque supremae laudi, quod suus

semper appareat vel in tabulis pingendis, in quibus primas inter aequales tulit, vel in fabulis milesiis exarandis, primus post Manzoni, cui proximus adstitit, vel in orationibus dicendis, vel denique in vita describenda. Namque illuc omnino spectavit, ut patriam, quam in oculis ferre videretur, omnes Itali amarent virtutibusque condecorarent, eamque ab exteriorum dominatu ac calunnias adsereret.

Utinam tot orationis virtutes ac sententiarum cum pietate in Ecclesiam cooptarentur, neo veneno saepe irreligionis atque seurrilitatis minime deturarentur! Quae quidem lectoribus periculosiora evadunt, quod ex homine proficiscantur qui passim honestatis nota decoratur et hoc nomine cuique maxime probatur.

SUBALPINUS.

HORATII DOCTRINA DE ARTE POETICA

in *Epistola ad Pisones*⁽¹⁾

II.

Iam principia ab Horatio explicata in epistola ad Pisones permultum ad artem valere, quis dubitat? Fundamenta et quasi artis solum merito appellaveris. Quorum illud est primum, ut mens et cogitatio poetae sit una, totumque poema unum, ut sic dicam, individuum efficiat; diversae vero partes non dissipatae neque inconnexae, sed vere sint partes, licet diversae, unius eiusdemque «organismi».

Quapropter parasita illa, videlicet descriptiones pulchrae sed inopportuna, digressiones politae et fortasse urbanae, si eas seorsum consideres, sed longae tamen, contortae, alteque petittae et cetera id genus prorsus removeantur. Quod ita Horatius:

*Incoepitis gravibus plerunque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assutur pannus; quum lucus et ara Diana,
Et properant aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describatur arcus:
Sed nunc non erat his locus: et fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enat et expes
Navibus, aere dato qui pingitur? amphora coepit
Institui; currente rota, cur urceus exit?*

Notissimae sunt omnibus sententiae istae Horatianae, quas multi etiam a pueris memoriae mandavimus; verum illae decies repetitae placebunt. Iam post tam pulchras similitudines et metaphoras, quibus explanatur principium de unitate poematis, deinde verbis propriis traditur sic:

Denique sit quodvis simplex dumtaxat et unum.

⁽¹⁾ Cfr. num. sup.

Alterum est principium de operis integritate, quo nempe iubet Horatius ut omnes operis partes politae sint atque perfectae; secus deficiet summa totius operis neque sibi constare videbitur:

*Aemilium circa ludum faber imus et unguis
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos.
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet.*

Aliud praeterea requiritur. Corrumptatur enim tota res nisi apte, nisi descripte dixeris. Sed quoniam modo virtutem hanc praeclarissimam consequemur? Optimam sane viam indicat Horatius:

*Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.*

Unde secundum Horatii doctrinam tria praesertim in poemate splendere debent: unitas, integritas, ordo. Quod si his tribus veluti proprietatibus substat illud, quod initio diximus, materia dives, vitae humanique sensus plena, informata ab imitatione et forma pulcherrima, quam praeclarum opus poeticum sit futurum his praeceptis elaboratum, profecto nemo prudens non videt atque miratur.



Quae breviter haec indicavimus, praecipua capita censentur Horatianae aestheticae in epistola ad Pisones, quibus tamquam nervis cetera sustentantur et cohaerent. Non, quemadmodum in opere philosophico, aliud ex alio nectitur ut sit omne compostum, compactum, coagmentatum; neque enim ambit philosophari Horatius. Sed eius mens tranquilla minimeque turbulenta, magno usu et diurno labore egregie instituta praecepit doctrinam sanam, incorruptam, omni prudentia illustrem, quam quidem sequentes minus fortasse rerum magnificentia verborumque splendore admirationem nostri excitabimus; at certe nunquam versabim in lubrico, nec irrisi ab aliis per aera volare cupientes cum dedecore consideremus.

Dertusae in Hispania.

FRANCISCUS SEGARRA S. I.

Ex Batavia

De certamine poetico Hoeufftiano
in annum MCMX indicto

Accepimus, et libenter edimus:

A. d. viii Idus Martias in consessu Ordinis litterariorum indices de xxxv carminibus sibi missis hunc in modum rettulerunt.

Carminis inscripti Roma ratio haberi non potuit, quia auctor epistolam adiunxit suo nomine signatam.

E reliquis carminibus quatuor propter formae et rerum nimiam debilitatem seposita sunt: *Alma pax*, *Carmen contra bellum*, *De humilitate*, *Mulierum processus*.

Aliquanto meliora sunt duodecim carmina: *Martyr infans*, *Sorores*, *Pio XI*, *Vera causa*, *Ninive*, *Delphin*, *Leda*, *Viscera montium*, *Anopheles claviger*, *In Leonem Delagrangium*, *Anarchicus*, *Hannibal*.

His denuo satis praestant decem carmina haec: *De provectione mulierum*, *Post gaudia luctus*, *Nubes*, *Amor et supplicium*, *Ad Mariam*, *In Hoeufftium*, *Per vigilium recitatoris*, *Somnium Caligulae*, *Flavius*, *Pompeiarum reliquiae*.

Restant octo carmina ceteris variis de causis anteponenda, quae secundum dignitatem ab imo incipientes sic ordinavimus: *Multum demissus homo*, *Diluvium*, *Puellae Aurelianensi*, *Aeronavis*, *Amico monita*, *Rufus*, *De regicidio Ulyssiponensi*, *Ecloga XI*: *Ovis peculiaris*. In his autem quum ne postremum quidem, *Ecloga XI*, quamvis praestans, ita omni numero absolutum sit, ut auro dignum videatur, hoc anno praemium non dabitur, sed haec carmina inverso ordine, qua enumerata sunt, in lucem prodibunt simulac schedules aperiendi veniam ab auctoribus impetraverimus, quam dedit iam auctor *Diluvii* Franc. Xav. Reuss.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ianuarias proximi anni mittant ad Hermannum Thomam Karsten, ordinis litterariorum Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda schedules obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portable prelum Britannicum (*typewriter*) adhibere velint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadrigentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando schedules aperiendae venia dabitur.

Exitus certaminis in consessu Ordinis mense Martio pronuntiabitur⁽¹⁾, quo facto schedules carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, Id. Mart. MCMX.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE
Ordinis Praeside.

(1) Vulgabatur statim in diariis Italicos his: *Gazzetta ufficiale del Regno*, *Bollettino ufficiale*, *Trivulza*, *Vox Urbis*, *La Nazione*.

DE REGICIDIO ULYSSIPONENSI

Carmen ALFONSI M. CASOLI S. I.

in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum anno MDCCCCIX⁽¹⁾

Haec vestra, reges, fata, miserrimi,

Iamnunc trahuntur: densa per hostium

Non postmodum tela involantes,

Vulnere magnanimo appetitis,

Aut usitatis in penetralibus,

Aetate grandes, non sine civium

Multa ingemiscentum querela,

Funerem advenientis horam;

Sed sica vobis perfida inermibus,

Sed ignearum vis fera glandium

Improvidis pectus repente

Transadiget iugulumve franget.

Haec anteactum crimina saeculum,

Haec dira praesens non semel horruit,

Cum regium cives cadaver,

Coetibus in mediis ovantum,

Praecepis, ut ictum fulmine, humi ruens

Expalluerunt, oraque livido

Exrita plumbo imove ferrum

Ad capulum lateri implicatum.

O te quid urbem, Carole, principem

Nuper superbis visere curribus,

Cum coniuge et natis, tuorum

Ante oculos, periture, suasit?

Vix arduae, namque, institerant forum

Altum quadrigae, cum subito horrida

Hinc inde flagrantum reluxit

Missilium crepusque grando.

Tuque, immerenti cum patre, floridis

Nil tutus annis, victimam concidis,

O matris et regni et nepotum

Spes, iuvenis, studiumque inane!

Regina apertis pallida brachis

Surxisse praepes fertur ab essedo

Interque delapsi mariti

Fili et exanimis cadaver

Natum suamet morte superstitem

Praestare salvum certa, viriliter,

Uicumque densabantur ictus,

Foemineum opposuisse pectus.

I nunc, novarum laudibus artium

Bicet tumescas usque recentibus

Tuisque nil, aetas superba,

Ausibus invideas negatum.

Narra excavatas longa volantium

Raptim per alpes agmina curruum

Et incitas igni carinas

Oppositum sociasse mundum.

Narra per auras, subter et aequora

Transducta filo litus ad extimum

Aut capta, dum fluctu vehuntur

Aetherio, per inane verba.

Mox navigatum grandibus aera

Narrabis alis hospes et insolens

Terraque praepones marique

Sidereo, nova regna, tractus.

At non malignae deterit indolis

Natura quidquam, si neque moribus

Lex imperet rectis honesta

Nec pietas regat una legem.

Nil, segregato Numine, volvitur

Non luctuosum. Budimur inscii,

Quandoque non excultum avorum

Barbarie insimulamus aeum.

Nos, dum scelesti seditionibus

Cives ruinas civibus adstruunt

Strictoque inardescit simulas

Finitimis dirimenda ferro;

Dum coeca nullum plebs refugit nefas

Iniquiori sorte ferocior,

Unisque compages stat armis

Imperii sociumque foedus;

(1) Quod auctor clarissimus carmen hoc suum ad *Vocem Urbis* miserit, ut in eius paginis ederetur, plurimas gratias referimus.

BIBLIOTECÀ
VATICANA

BIBLI
CANA

*Nos saecla, nosmet barbara vivimus!
Chlamys quod ulcus confagit aurea,
Num mitius contacta sensim
Inficit inficetque membra?

Quamcumque virtus non solidaverit
Molem, caduco tollimus omne
Et pondere urgemos superne
Quae imæ, basi dubiæ, fatiscit;

Ceu conglobatae vis nivis, alpibus
Decisa summis: illa volubili
It acta lapsu orbemque in immensum,
Applicitis glomerata massis,

Immane silvis detonat obrutis
Oppletque valles. Undique concavæ
Rupes remugivere et ingens
Tecta procul tremor alta stravit.*

COLLOQUIA LATINA

Crispus pharmacopola garrulus et sciolus, Publius iurisperitus, vir doctus et prudens, saepe saepius de aequalium vicissitudinibus et cultu inter se confabulantur; adstat, et non semel, Sylvius publici athenaei alumnus.

PUBLICUS. — (*Officinam pharmacopolei ingrediens*): Te salvere iubeo, mi bone Crispe, teque etiam Sylvi. Quid novi refers luce hac quod me aliquantis per recreare valeat? Diebus enim brumalibus pertaesus, et hodierno hoc in primis, qui nimbosus et niger solem expulisse propemodum videtur, tuam ad officinam confugio, ceu ad portum, dum pontus undequaque tumescit, nauclerus. Hic nempe aer tepescit, et gravior fit; imo sanitatis adminicula, quae passim in promptu sunt, alliciunt oppido, et recreant.

CRISPUS. — Opportune quidem venis, mi bone vir; curis quippe et clientum sollicitudinibus hodie vacuus, in legendis diariis ac ephemeridibus, quae aetatis huius incrementa et ingeniorum « evolutionem » enarrant, totus fui. Taedet enim me iamdiu oppidulo in isto vitam ducere, ubi incolae, rusticani operibus functi civilem quemque fastidientes cultum, superstitionibus unice se addicunt; sub vespere enim plerique, foeminae praesertim, ad templum se conferunt, ibique Deum, ut ipsi dicunt, divosque precibus exorant. Unde nihil habere huius temporis portenta et miracula di-

xerim; doctrinae supelleciles, quae ultro parantur, abiicere, et mediae aetatis vestigia, quae adhuc superesse videmus, unanimis propemodum sectari. Civibus invideo, qui magnas incolentes urbes, unde possint animorum suorum cultui consulere, habent, statumque extollere suum.

SYLVUS. — Quid enim potius est illis civibus, quam publicis concionibus, quae in foro etiam celebrantur, interesse? Agitur quippe de iuribus sibi ab unoquoque vindicandis, de primorum dominatu prorsus abolendo; et quod magis est, de tenebris, quas vetusta aetas religionibus olim redundans, usquequa diffudit, omnino detergendas.

P. — O lepidos meos Crispum et Sylvium, insanisne aut lusibus me afficere pergitis? Undenam tot, quae hucusque effutivistis, haebetis? Antehac tu, Crispe, de physicis disciplinis, quibus quondam in Taurinensi archigymnasio imbutus es, loqui, et me libenti accipere animo, quae de chymicis virtutibus, recentius experimentorum ope in corporibus passim repertis, disserere solitus eras... nunc autem miror huiusmodi provinciam praetergressum repente theorematum, quae philosophicas, imo et theologicas quaestiones attingunt, arripere. Illud antiquorum dictum cave: « Ne sutor ultra crepidam ». Accipisne quod tibi prodere volo? *Sutor* es tu, pharmacopola, Crispe; quidquid ad pharmaceuticen spectat, *crepida*; ea quae modo expromere intendis *ultra*.

C. — O mi doctor, amabo te, ne arguas me nimium, nec duriorem te mihi exhibeas. Mens enim, et animus mihi quidem inest, quo ea quae evulgentur, apprehendere valeam. Libellus iste, et diurnae ephemerides, quas adhuc hic prostrare vides, me satis persuaserunt post tot saeculorum cursum advenisse tempora tandem, quibus homo seipsum cognoscere valeat, et ea, quae sibi propria sunt, vindicare; animorum « evolutionem » in dies perfici, ut rerum ambagibus variisque symbolis, quibus rerum natura usquammodo claudebatur, propemodum abruptis...

S. — Imo, et quadam sublustra umbra, qua nos usque nunc offundebamus, iam iam dissipata, nos perfectionem in tantam pervenire potuimus ut ea, quae a maioribus nostris hausimus, tuto animo abiicere valeamus. Et sane nonne Gabriel D'Annunzio, quem inter aequales vatem praestantissimum nemo diffitebitur, satis aperte cecinit, pro pediem futurum, ut simulacrum Virginis fragmentis ad Capitolii radices iniectis, et crucibus ipsis, quas nunc in altum extolli videmus, urbis per vias dispersis, Veneris imago nitidissima appareat, et Iovis signum monstretur, quo cives ad animi magnitudinem, vitaque laetitiam extinentur?...

C. — Institutum illud, quod a Christo conditum assurunt, temporum « altitudini » non respondet, atque cedat necesse est...

P. — Quid istuc? Miror, te haec mente volvere, et in tantum errorum barathrum labi. Hercle! te quidem religionis operibus nimium sollicitum antehac non habui, sed tamen frugi ac temperanti animo. Si Aristophanes adasset tibi quidem eleborum potandum diceret. Visne colloquium prosequi mecum, pacifice quidem et graviter? So- cratica utar via, et christiana lenitati prorsus obsequutus. Accedas, et loquere...

C. — Te virum probum, pariterque peritum haud negem; attamen, cedo, ratiocinationes, atque argumenta, quae afferunt autores illi, ingenio praediti splendido, ac nitidissimo eloquio pollentes, quanam ratione refelli possint?

P. — Patere, mi bone Crispe, a te nonnulla singulatim exquiri; ast tu suavi candido excipias animo. Quid est ista animorum « evolution » aut potius dicam perfectio, quam tantis laudibus effers?

C. — Peto, a te, Sylvi, ut Publio nostro respondeas; tu sane aptior es.

S. — Non ambiguum loquar, nec subtile, sed quod omnibus patet; mentium « evolutionem » in hoc esse, ut ignorantia, quae iamdiu effundebatur, dispersa, hodie per litteras et artes, quibus homines, et pueruli ipsi, sponte vel coacte, imbuuntur, in tantam animorum disciplinam devenerimus, ut quisque consulere sibi valeat, rerumque naturam perscrutari, vitaque commodis, quae in promptu sunt, perfrui, quum tamen ea, quae corporum naturam transcendunt, meditari aut suspicari non nitatur.

P. — Aures arrige paulisper, Crispe, et tu etiam Sylvi, mihi dicenti; mens enim ut reficiatur silentium requirit et pacem. Homo, qui subiectum est civilis cultus, et « evolutionis » cui tantum inhihas, duplice natura constat. Philosophi christiani, et ante illos inter vetustos sapientiores, hoc aperte satis docuerunt. Ergo ut perfici omnino possit, in altera natura et altera evolvi debet. Anne hominem istum bruto animanti aequari patieris?

S. — Nec desunt, qui hoc probare nitantur, imo in publicis athenaeis...

P. — Faveas linguae, Sylvi, et mitte loqui, ut sermonem prosepar meum. Christiana religio, quam institutum a Christo evulgatum asseritis, vix ac mundo fulsit, mentem humanam in primis attingere statuit, et quidem circa eam, quae homines post obitum manet, vitam; et quum ea, quae supernaturalia dicuntur, naturae ordinem extollant quidem, non autem respuant, illuminatio huiusmodi, seu redemptio, in hominum societate

effectus suos gignere pedentim elegit, iuxta sapientum effatum, per minima media nos assequi debere maximos fines. Unde sapientia haec, quamvis in cuiusque intellectu instruendo, circa vitae caelestis consecrationem, quae christiani hominis supremum efficit bonum, nunquam defuerit, nihilominus circa communitatis disciplinam, et cultum, prius aurora, dein mane, et tandem meridies fuit, et fulgentissimus, cuius fulgorem aequales nunc magnopere iactant, eoque adeo gloriantur.

Albintimili.

CALLISTUS AMALBERTI.

(*Ad proximum numerum*).

PINACOTHECA VATICANA

LAUDATORUM OPERUM ACCESSIONE AUCTA
ATQUE IN NOVA SEDE COLLOCATA

Pinacotheca Vaticana saecularem vix repetit originem: Pius VI enim P. M. eam prope musea a se condita, collectis hinc inde celebratorum artificum operibus, primus in Vaticanis aedibus ordinavit. Quamquam heu! brevi quidem tempore; Galli namque Romanus invadentes ipsam diripuere, eiusque tabulas centum Lutetiam Parisiorum detulerunt. Quum autem, Vindobonensi foedere inito, eas restituere coacti sunt, licet optimas et famosissimas reddiderint, tredecim tamen dissiparunt. Quas Urbs recepit, in Borjanis aulis depositas, translatae sunt an. M DCCXXII in Gregorianas, deinde in aulaeorum tablinum, denique in Pianum, ubi ad mensem usque Septembribus superioris anni steterunt, dum scilicet laudatorum operum tum in Vaticano tum in Laterano existentium augeri atque in propriam eamdemque firmam et optimam sedem Pius X transferri iussit, quam ipse per cavaedium magnum Vaticanum cui a « pulcro visu » nomen ad hoc aptandam curavit, die xxviii superioris mensis Martii sollempni ritu dicavit, nosque summatis describemus.



Si quis a vestibulo dexterum aedifici latus ingreditur, aula prima ei occurrit non antea expositis operibus omnino constans, pictorum scilicet Byzantinorum et Italorum, qui primigenii nuncupantur: Margaritonii, Iotti eiusque alumnorum, Vitalis Bononiensis, Laurentii Monaci, Ioannis Florentini, vulgo *del Biondo*, Tadzhæi Bartoli filii, Bartoli filii Fredii, Bernardi Daddi; qui omnes quamquam in Tuscia et in Umbria modesta ac rudi arte, alius alii incognitus tabulis suis operam dabant, unico tamen fidei vinculo adstricti,

BIBLIOTEC
VATICANA

BIBL
CANA

unico religionis sensu erant incensi, ut Christi, Mariae, aliorumque caelitum effigies non aliter multiplicarent, ac pietas credentis uno semper ardore easdem preces easdemque invocationes ingeminat.

Ipsae hae cogitationes, ipsi animi motus visitantem occupant quum ad aulam secundam, picturas seculi xv continentem, accedit tabulasque Sani, Petri

Aula tertia Umbro-Picenae scholae dicata est, insignisque Gentilis Fabrianensis et Nicolai Alumni operibus praesertim evadit. Neque heic praetermittendae et Pinturicchii tabula illa, pro ecclesia S. Francisci Perusina depicta, Virginem referens corona redimitam, et Christi resurrectio a Petro Perusino efficta.



Novae pinacothecae Vaticanae primigeniorum aula.

filii, et Ioannis, filii Pauli, conspicit. Si vero ad adversum parietem convertitur, miratur sane quo Italica pictura iam processerit. En Gozzoli, en Angelici Faesulanii, en Philippi Lippi, et Marci Palmezzani tabulae; at ecce omnibus magnitudine ipsa praestans Melottii Forolivensis pictura moralis, Xystum IV Pontificem effigens cum humanioris cultus magistro illo Platina, qui ante ipsum genibus flexus conditae nuper bibliothecae Vaticanae utilitatem commemorat. Est in aula hac inter alias notissima Leonardi tabula S. Hieronymum effigens, quam e Francogallorum ruina Fesch Purpuratus Pater vix eripuit.

Sed iam ad pinacothecae sacrarium devenimus, ubi Raphaelis Urbinate miracula ita disposita sunt, ut facile oculus viam complecti liceat, quam maximus ille pictoriae artis magister lapidibus immortalibus signavit; a Virgine coronam assumente quam Deiparae Dominus praeparaverat, quod opus ab artifice iuvene admodum effectum quamquam Umbræ scholæ flamen redolet, genii tamen assurgentis peculiares aperit notas, ad Virginis effigiem Fulginatensis titulo vulgo cognitam et an. M D XI depictam, ad Iesu de-



Novae pinacothecae Vaticanae aula Raphaeli Sanctio dicata.

nique transfigurationem, ultimam illam eamque maximam Sancti creationem. Tabulae scaena, uti inter omnes constat, in duas partes dividitur: superius Mundi Redemptor, inferius furiatus adolescentis, quem frusta Christi discipuli placare valent: illuc caelum, divinum numen, beatitudo; heic terra et humanitas cum omnibus miseriis suis ac suorum nisuum impotentialia. Partium vero divisio tantummodo adumbratur: lux enim unica ab alto demittitur; «Redemptor meus vivit» superna vox inde insonare videtur: Ipse de monte descendet, cum mortalibus immortalis, eiusque verbum omnipotens erroris culpeaque tenebras dissipabit; spem, solamen omnibus afferet atque humano generi omni pignus felicitatis.

Raphaelis Sancti triumphum quodammodo insiguiorem faciunt hinc patris eius Ioannis et Petri Perusini magistri, inde Iulii Romani et Francisci Pennii tabulae per aulam dispositae; quae quidem postremae iam renatae artis parabolam descendantem plane indicant.



Sed ad vestibulum – in quo herma munificentissimi Pii X P. M. a F. Seeboeck insculpta posita est – redire iuvat, ut reliquas aulas invisamus.

Quarum prima tabulas Venetae scholae continet, inter quas Andreae Mantegna Patavini mira illa «Pietas» est, ubi immensus Virginis dolor cum maxima modestia coniunctus quum effingatur, aversatur quidem Caroli Crivelli tabulae, heic etiam ostensae de eodem argumento, in qua Matris dolor convulsis contractionibus repraesentatur.

Sequitur aula «Sexcentistarum» nomine distincta. Oculis subtunduntur Michaelis Angeli de Caracaggio, Andreae Sacchi, Guidonis Renii, Dominici Zampieri opera iam nota; quibus additae sunt tabulae tres peculiari mentione dignae ac recens in aedibus Vaticanicis repertae: et «S. Familia in deserto quiescens» tum Caroli Marattae tum Francisci Barocci, et «Petrus Christum denegans», opus Michaeli Angelo ipsi de Caracaggio attributum, in quo singulari oppositu cuiusdam senis pavens vilitas et adolescentis ancillae vafra petulantia acriter comparantur.

Aula exteris pictoribus reservata finis novae pinacothecae imponitur, de qua non facile profecto dixeris, utrum maior fuerit constitutoris mens an periorum eorum ars, qui Pontificiam voluntatem sunt exequuti.

FORFEX.

*Conscia mens recti famae mendacia risit;
Sed nos in ritio credula turba sumus.*

Ov., Fast., IV.

IOANNA DE ARC INTER CAELITES RELATA

De Aurelianensi puella Ioanna de Arc fuse in commentario nostro loquuti sumus, quum virtutes «gradu heroico» eam exercuisse Ecclesia declaravit (1). Non itaque ipsam Beatorum in numerum, die XVIII superioris mensis Aprilis, relata melius celebrare possumus, quam Beatificationis Pontificias litteras in forma *Brevis* repetentes, quae sunt prouti sequitur:

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Virginis in omne aevum nobilis, Aurelianensis pueriae nomen, iam immortalitati traditum et modo Beatorum caelitum albo inscribendum, testis est divinae potentiae quae «infirma mundi elegit ut confundat fortia» (I Cor. I, 22). Quum enim anno reparatae salutis MCCCCXXVIII civiles tumultus intestinaeque discordiae non minus quam diurnum et grave cum Anglis bellum iam extrenum exitium ac perniciem Galliae portenderent, nec ullum perfugium victis, neque spes assideret salutis, Deus qui singulari iugiter amore hanc nobilissimam nationum est prosequutus, mulierem excitavit «ut liberaret populum suum et acquireret sibi nomen aeternum» (I Mach. VI, 44). Magnanima ac pientissimae Ioannae de Arc Aurelianensis pueriae nuncupatae tota vita prodigium visa est. Nata in oppido Domremensi, intra fines dioecesis Tullensis prope lucum opacum Druidicam quondam superstitionis asylum, paternas oves pascebat Iohanna; sed hic, rufis et paupercula villica, quae nondum impleverat tertium aetatis sua lustrum, in lato subiectae vallis prospectu, animum extollebat ad Illum qui montes et sylvas, agros et dumeta tali distinxit ornatu, ut quamlibet praedivitem pompam et regiae quoque purpurae fastum longe superarent.

Insciae mundi pueriae sola cura erat rusticam Virginis aram lectis onerare floribus tantique belli strepitibus vix eius aures contigerat. Sed quum Aureliorum oppugnatio iam traheret praecipi casu et ipsam urbem et Caroli VII regis fortunam, iam enim nobiliores Galliae provinciae in Anglorum inruentium ditionem cesserant, extremis hisce in angustiis, Ioannae in domestico pomario consuetis officiis intentae, auditae est caelestis militiae principis Michaelis vox, qualis olim insonuit Iudee Machabeo: «Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israhel» (II Mach. XV, 16). Filia pacis ad bellicam ciebatur; obstupuit prius ac timuit virgo, sed post repetitas de caelo voces, quasi di-

(1) Cfr. an. VII, n. 1.

vino spiritu afflata minime dubitavit quin colum inensem, et calamos pastorales in clangorem tubarum mutaret. Non illam parentum pietas, non longi itineris pericula in Deo operantem detinuerunt. Quare simplici sed sublimi eloquio stat in conspectu potentium, se adduci iubet ad regem, disiectisque interpositis moris, rejectionibus ac dubiis, mandatum quod

Ipsa vehens equo, virginem corpus virilibus armis onusta, gladio praecincta et manu quassans album vexillum aureis liliis contextum, in Anglos iteratis victoriis superbos interrita ruit: et nobili praelio non sine praesenti Dei ope, metu perculis profligatisque hostilibus copiis, die VII mensis Maii anno MCCCCXXIX obsessa Aurelianensem moenia victrix



Novae pinacothecae Vaticanae Venetae scholae aula.

sibi divinitus traditum putabat regi Carolo aperit et freta caelestibus signis, se Aurelias ab obsidione liberaturam pollicetur. Tunc Deus qui «dat lasso virutem et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat» (Is. XL, 19) ea sapientia, doctrina, rei militaris peritia atque etiam occultarum divinarumque rerum scientia pauperem villicam, quae ne litteras quidem callebat, donavit, ut iam ambigeret nemo quin populi salus in ea esset. Fit undique admixtae plebis concursus, assueti bellis milites, dynastae, duces, nova spe elati gratulantes, ovantes, sequantur pueram.

recuperat. At prius quam in Anglia propugnacula impetum facerent, Iohanna milites hortabatur sperarent in Deo, diligenter patriam, Ecclesiae sanctae mandata servarent. Innocens sicuti iam in custodia gregis, at fortis uti herois, terribilis in hostes erat, sed vix lacrymis temperare poterat quum morientes videret; princeps in proelium ibat, at neminem gladio feriebat, pura sanguinis atque immaculata licet inter caedes et licentiam castrorum.

Tunc vere apparuit quid possit fides! Continuo populus sumit novos ex insperato animos, et patriae charitas ac restituta in Deum pietas, validiores addit

BIBLIOTEC
VATICANA

BIBLI
VATICANA

ad egregia facinora vires. Invicta rebus maximis puerla multiplici certamine lacescit Anglos, et postremo eorum exercitum prope Pataium oppidum celeberrima pugna fundit ac repellit, regemque suum Corolum VII splendido triumpho ducit Rhemos regia consecratione sollemni ritu inungendum, eo quidem in templo, quo iam primus Francorum rex Clodovaeus lustralibus aquis a divo Rhemigio ablutus, Gallicae nationis fundamenta posuerat. Sic contra hostes Gallici nominis de caelo dimicatum est, sic servata divinitus patria, Arcensis virgo missionem peregerat. Ipsa humilis corde ad ovile et pauperem casam unice optavit remeare; sed iam caelo digna voti compos fieri nequit.

Etenim paulo post pugnans capitur ab hostibus nimis aegre ferentibus se a puella devictos fuisse; et in vincula coniecta, post varias aerumnas duramque in castris inimicorum custodiā, tandem Rothomagi sex post menses quasi piacularis hostia pre redimenda Gallia damnatur igni. Splendide fortis ac pia etiam in supremo discriminē Deum rogavit ignoraret interfectoribus suis, patriam regemque incolumes servaret. Imposita in rogam et iam flammis edacibus involuta, caelesti in obtutu defixa permanuit; veneranda ac dulcia Iesu et Mariae nomina morientis puellae novissima verba fuerunt. Sic inclita virgo lauream assequuta est immortalem; sed sanctitatis eius fama et gestarum rerum memoria in ore hominum praeſertim in civitate Aurelianensi vixit usque ad saecularis celebritatis honores ei nuper exhibitos, vivetque in posterum semper nova laude recens. Et sane in illam apprime cadere videatur impartita Iudith lans «in omni gente quae audierit nomen tuum magnificabitur super te Deus Israël» (*Iud. XIII, 31*). Verum nonnisi recentioribus temporibus penes Sacrorum Rituum Congregationem causa agitari coepit est de decernendis Arcensi Virginis Beatorum caelitum honoribus, atque hoc quidem contigit ex auspicio; praesenti enim tempestate qua tot tantaque mala videt lugete catholicus orbis, qua tot christiani nominis osores patriae amorem ementientur supra civitatis ac religionis ruinas, placet Nobis gloriosa fortissimae Virginis exempla celebrare ut hi meminerint «agere ac pati fortia christianum esse». Spe autem Nobis prope certa est futurum ut ipsa Ven. Dei Serva nunc beatis addendo caelicolis, impetrat patriae suae de qua optime meruit robur antiquae fidei; catholicae autem Ecclesiae cuius fuit studiosissima impetrat solamen ex reditu tot errantium filiorum. Quare anno post decretum editum VIII Idus Ianuarii anni M DCCCCIV probationibus iuridice sumptis riteque expensis Ven. Dei famulae Ioannae de Arc Virginis Aurelianensis puellae nuncupatae virtutes heroicū attigisse fastigium sollemni decreto sanximus. Initia est deinde actio de miraculis

quae ea deprecante divinitus patrata ferebantur, omnibusque de iure absolutis, Nos per decretum in vulgus editum Idibus Decembribus anno M DCCCC VIII de tribus miraculis constare suprema auctoritate apostolica declaravimus.

Quum igitur de virtutibus ac de triplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererat discutiendum num Venerabilis Dei famula inter Beatos caelites tuto foret recensenda. Hoc praestitit dilectus filius Noster Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata, causae relator, in generali conventu coram Nobis in Vaticana Aedibus pridie Idus Ianuarii anni vertentis habitu, omnesque tum Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant patres consultores, unanimi consensu affirmative responderunt. Nos vero in tam gravis momenti re nostram aperire mentem abstinuimus distulimusque supremum iudicium in alium diem ut supernum antea lumen fervidissimis precibus postularemus. Quod quum impense fecissemus, tandem nono Kalendas Februarias huius anni laetissimo die per solennia divinae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, Nos Eucharistico sacro rite litato adstantibus cla. me. Seraphino Cardinali Cretoni, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto ac dilecto filio Nostro Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata causae relatore, neconon Venerabili Fratre Diomede Panici archiepiscopo titulari Laodicensi eiusdem Rituum Congregationis Secretario, et R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, sollemniter pronunciavimus tuto procedi posse ad solemnum Ven. Dei Servae Ioannae de Arc Beatificationem. Quae cum ita sint moti etiam suffragiis votisque sacrorum antistitum universae Galliae, aliarumque regionum, Auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei Serva Ioanna de Arc Aurelianensis puellae nuncupata Beatae nomine in posterum appelletur atque imagines illius radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra Auctoritate concedimus, ut de illa recitetur officium et missa celebretur singulis annis de communī Virginum cum orationibus propriis per nos approbatis.

Eiusmodi vero Missae celebrationem et officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Aureliensi omnibus fidelibus tam secularibus quam regularibus qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad tempa in quibus eiusdem festum agitur confluentibus servato decreto Sacrorum Rituum Congregationis (3862 Urbis et Orbis) die IX Decembribus anno M DCCC XCV dato.

Denique facultatem facimus ut solennia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Ioannae de Arc in dioecesi ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis, die XVI Decembribus M DCCCC II, de triduo intra annum

Varia.

Die XXVIII mens. Martii nova pinacotheca Vaticanae sedes sollemniter a Pontifice inauguratur.

— d. XVIII mens. Aprilis in Vaticana basilica Ioanna de Arc, Aurelianensis puellae nomine insignis, in Beatorum coetum refertur. Pontifex ad vesperum in Basilicam ipsam novensem Beatam veneraturus descendit, dum Galli episcopi prope universi, atque quinquaginta millia hominum et ultra, ex Gallia praeſertim, sacris concentibus Deo fidem suam profertur.

ANNALES

Balkanica quaestio pro tempore saltem composita.

Venerabilis Dei famula Ioanna de Arc Virgo Aurelianensis puellae nuncupata denunciatur Beata.

Ex speciali mandato Sanctissimi.

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Martii - d. XXI mens. Aprilis M DCCCCIX)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adveniunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Ioannes Farrelly, episcopus electus Clevelandensis; Graffin doctor, Societatis adversus servitutem in Gallia moderator; Hildegunda de Bourbon, Comitissa de Bardi; Vakò, Comes; De Feverau, Dynasta, Belgarum gubernii minister; Iosephus Andiloro, ex consilio aedilium Rheginenium; coetus Legatorum apud Apostolicam Sedem; Nicolaus Szècsen de Temerin, Dynasta, legatus extraordinarius atque Austrorum Hungarorumque administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem, Pontifici offerens opus recens editum «Aedes Venetiarum» in Urbe describens; Thun de Hohenstein, Princeps, Supremi Ordinis Militaris Militensis Magister maximus; Caffarelli, Urbanus Dux, eiusque familia; iuvenum studiis in Austria vacantium manus a magistris suis Romanum peregrina; alia adolescentum Hungarorum manus; Vindobonensis magistratus ad trecentorum numerum et quinquaginta; Sodalitatis opificum Germanorum legatio; Belgarum peregrinorum manus; Coetus catholicarum mulierum ex Italia, tum ex Gallia; denique, in Vaticana basilica, Galli peregrini, ad triginta milia hominum numerum, quibus Pontifex summi momenti allocutionem de religionis patriaeque amore Gallice habet.

Pontificiae electiones.



In concilium Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae adsciscitur excusus vir Dominicus Taccone Gallucci, archiepiscopus tit. Constantien.

— Andreas Sarti, episcopus Guastallen., ad dioecesim Pistoriensem et Praten. transfertur.

— Americus Bevilacqua, parochus Urbanus, episcopus Alatinus creatur.

Turcarum sedatio.

Si autem orientalis Europae conditio, quod ad exteriores gentes attinet, tanta cum omnium animorum refectione cessit, aliunde ecce necopinato ingravescit; in ipso dicimus Turcarum imperio, ubi civile bellum exardet, aperte a fanatica Mahometanorum factione, favente Caesare, commotum. Arepta enim occasione a quadam evulgato decreto, speciem aliquam reliquias libertatis sanciente, militum manus, sacerdotum, adolescentum studiis vacantium armis insurgit, qui caudem et ruinam per Constantinopolim portantes, duces aliquot rebellionem cohibere suadentes obruntant, iustitiae administrum et publicum oratorem legibus ferendis Arslan missilibus glandibus interimunt coetusque «Iuvenum Turcarum» quum resolutionem manu militari obtinuerint, hos cogunt fuga sibi comparare salutem; denique administratorum collegio a munere absidente atque publici coetus legibus ferendis praeside dimisso, iam in eo esse putant, ut regimen antiquum tyrannidis restituatur.



VATICANA

Brevi tamen; iuvenes enim illi Turcae Constantiopolis disiecti Salonicum petunt, ibique cum publici coetus praeside Achmet Riza et cum Mahmud Muktar pacha, Constantinopolitanus exercitus imperatore, convenientes rapide atque perfecte subsidia triginta millium hominum colligunt et adversus urbem imperii caput expedito exercitu profecti, ad Sancti Stephani castra ponunt, quo populi legati omnes collegas consequuntur, sub antiquo et legitimo praeside suo congregantur, Caesarem deponendum constituant et Constantinopolim obsidet; quod, dum scribimus, facere aggressi sunt.

Faxit Deus ne suorum sanguine unius patriae cives ulterius manus cruentent!



Hora postrema.

Quum hic *Vocis Urbis* numerus praelo committitur, nuncium vulgatur Abdul-Amid Caesarem regno esse privatum, in eiusque locum Resciad-Effendi, fratre natu maiorem, quem ipse omnino a publicis rebus iamdiu seposuerat, nomine Mahumeti V esse suffectum.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In *Germania* Buelovius, administratorum praeses, de reformando aerario deque relationibus cum ceteris populis fusius considerateque disseruit.

In *Hispania* de aere alieno cum exteris populis extingendo oblata lex.

In *Italia* Casana, bellicae rei praeposito ab officio sponte recedenti Spingardi praefectus militum sufficiens.

In *Lusitania* novum administratorum collegium constitutum, cui Telles praepositus.

In *Russia* nomen ad classem tuendam iterum reiecit. Quod itaque per Caesaris rescriptum consti-tuere oportebit, auditio tantum Imperii consilio.

PER ORBEM

Die xxi mens. Martii MDCCCIX in carbonis fodinis ad Sunnisyde incendium exoritur, in quo eu-niculari triginta quinque misere obeunt.

— d. xxii exterarum rerum apud Turcas ad-minister Rifaat pacha Romanum advenit.

In qua mensura mensi fueritis, remetietur et vobis.

MATTH., VII, 2.

Ars longa, vita brevis.

SEN., *De brev. vit.*, I.

— d. xxiii Londino nunciant Shackleton ducem australem polum magneticum attigisse et ad centum et undecim millia passuum ab austrino cardine per venisse.

— d. xxiv rebellium factio Buchir, sinus Persici urbe, potitur, fugatis magistris.

— d. xxvi Sassari moritur Henricus Costa, Sardiniæ historicus paeclarus.

Iohannesburg, fodinarum eventilante machina vi-tata, opifices septuaginta novem suffocati pereunt.

Massilia, Aprutiorum Dux e Sabaudica gente ad alpes Karakora explorandas proficiscitur.

— d. xxviii Romae, adstantibus sacro Purpuratorum senatu administrorumque apud Apostolicam Sedem collegio, Pontifex novam pinacothecæ sedem sollemniter inaugurat.

— d. xxxi Miramar in oppidum Anglorum et Hispaniae rex convenient.

Die i mens. Aprilis Lutetiae Parisorum Ioannes Aicard et Renatus Doumie in academicorum coetum cooptantur.

— d. iii Ioannis Keats poetae domus in Urbe, adstante Italorum rege, visitantibus aperitur.

— d. v in Venetiarum templo Virgini de Horto sacrum, Ioannis Bellini tabula pretiosissima, Virginem effingens cum pueru Iesu, furtim asportatur.

Buelovius princeps, Germanici gubernii ad-minister, Venetas tenet.

— d. vi per Messanae ruinas Italorum rex et re-gina Rooseveltio, iam Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis praesidi, amice occurunt.

— d. vii aeronavis ab Almerico de Schio, Comite, fabricata feliciter in auras assurgit.

— d. x Carolus Swinburne, Anglorum poeta nostris diebus paeclarus, Londini vita fungitur.

Cairo in urbe antiquitatis studiosorum conventus sollemniter habetur.

— d. xii Bartholomaeus Giuliani pictor Mediolani naturae concedit.

— d. xiii Alvi, Aprutinorum oppidum, praerupti montis ruina quassatur.

— d. xiv Gulielmus, Germanorum Caesar, eiusque uxor et Oscaris filius Corcyram insulam petentes, Venetas appellunt.

— d. xv Vilburgus Wright, aviator ille Ameri-canus, machinae sua experimenta Romae prospere agit.

— d. xvii Angliae rex eiusque uxor, atque Russorum Caesaris mater Genuam privati visitant.

IOCII

Nobilis quidam adolescens urbanioris ingenii admodum sero e cubitu surgere consuebat. Eam tarditatem sociis culpantibus: — « Quid? — respondit. — Duas mulieres quotidie ad me venientes et coram me litigantes auscultare cogor: Sollicitudinem et Pigritudinem. Hortatur illa ad surgendum et ad res agendas tempusque bene ponendum; increpat hanc illa, atque ad diutius quiescendum et in lecto propter frigus manendum incitat ac dicit non semper laboribus vacandum. Contra Sollicitudinem confutare et caussam suam argumentis roborare. Quum itaque diutius contendere inter se et disputare soleant, mihi iudicis officio utraque pars audienda est, et dum ipsis conveniat in lecto morandum. Eo fit ut serio surgam; quia finem litis exspecto ».

AENIGMATA

Accipe dimidiam mali partem (neque refert Mite sit an crudum), lector; partique priori Inuge novam partem, bis sumptam, dimidiato Ex tergo (cauda detracta) oviumque boumve; Adde semel quod bis rapidus devolvit Araxes. Femina tum surget, pedibus subnixa quaternis,

Quam consanguinitas tibi, lector, copulat arcta; Arctior at tum nexus erit, si femina binos A tergo rerecatque pedes, servetque priores.

FRANC. XAV. REUSS.

Ex sociis, qui huius aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet ipsius FRANCISCI XAVERII REUSS opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE IOANNIS LA FONTAINE LATINAE CONVERSÆ.

Adenigmata an. XII, n. II proposita his respondent:

1) Thus; 2) Nox et dies.

Ea rite soluta miserunt:

Ios. Rainelli, Arona. — Petrus Tergestinus — Iac. Cordara, Parentio. — Alf. Martinez, Badajocio. — Vinc. Starace, Neapoli. — Max. Wronski, Nova Vies Narodowa. — Guil. Schmidt, Londino. — Guil. Schenz, Ratishona. — Lad. Dubois, Massilia. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — F. Guerra, Aletio. — F. Arnori, Mediolano. — Lucius Rhaetus. — Rich. Müller, Berolino. — Rich. Brondel, Brugis. — Ios. Martins, Philadelphia.

Sortitus est praemium:

FRANC. XAV. GUION,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS ACROASIS.

Aegyptii — CAROLI M. ROSINII comoediam vid. in pag. seq.

DESCLÉE ET SOCI — EDITORES PONTIFICII

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

ANTONELLI Sac. JOSEPH

SYXTUS P. O. C. R.

Medicina Pastoralis in usum confessariorum et curiarum ecclesiasticarum

Notiones archaeologiae christianae
disciplinis theologicis coordinatae

Vol. I. — Sumimula anatomiae et physiologie humanæ, cum 102 figuris et XVIII tabulis coloratis.

Vol. II. — Complectens: 1º Quaestiones physiologicas de Primo, Quinto et Sexto Decalogi praeceptis; 2º de Sacramentis Baptismi et Matrimonii; 3º de praeceptis Ecclesiae super abstinentiam et iejunium, et 4º de iis, quae referuntur ad graviter aegrotantes, moribundos et mortuos.

Vol. III. — Complectens: Constitut. Bened. XIV « Dei miseratione » et istructiones SS. Congregationum Concilii et S. Officii in causis nullitatis Matrimonii rati et non consummati nec non tria specimina Causarum Matrimonialium.

Editio tertia.

3 vol. in-8 constant. pag. VIII-256-590-208, ven. lib. 24.

BRUSCHELLI D. FELICE

FAMIGLIA E SACERDOZIO

OSSIA

LA MISSIONE SOCIALE DEL CELIBATO ECCLESIASTICO

Vol. in-12 constant. pag. 200 et ultra, ven. lib. 2.

BIBLIOTeca
VATICANA

BIBLIC
TICANA

[5] AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia
Recognovit I. F.

Ble. Verum narras, Curculio? Cur. Oh! haesitas adhuc?
Tu nunc domum redi cito; coenam appara,
Quam poteris, lautam, et que tantis respondeat.
Hospitibus: permitt me reliqua. Ble. Ut iubes.
Vae tibi, si me nunc illudis, Curculio.
Cur. Peream, ni mox cum Aegyptiis redivero.
Ble. Vade igitur. Cur. Vado. Ble. Habebo gratias tibi,
Curculio. Cur. Nihil te mihi debere autumo
Huius rei causa. Ble. Memini officium meum.
Cur. Et ego meum. Ut belle captu' est passerculus! (1)

SCENA VI.

Blepharo, Cleonymus, Stratilax.

Ble. O fors, o fors fortuna (2), gratias tibi
Ago quam maxumas, mihi quod obieceris
Hodie hunc hominem, nunc ne me deserbas, rogo;
Concilia hanc hospitalitatem tu mihi.
Aperite vos hasce fores. Cle. (3) Vox patris
Est: audin', Stratilax? Accurre ad ostium.
Stra. (3) Accurro. Quis fores pulsat? Ble. Quinam siet,
Non audis? Stra. Cum loqueris, audio. Ble. Nec aperis?

(1) *Iridens et laetus secedit.* — (2) *Solus fortunae gratulatur.* — (3) *Liquitur intro.*

Stra. Mox, mox. Ble. Quid ais? Stra. Adeo obfirmatus
[pessulus (1),
Reducere ut nequeam. Ble. O quantum ineptus est!
Cle. Sime me. En reclusus est illico (2). Salve, pater.
Ble. Et tu, mi gnate, salve solemni hac die.
Stra. Quam in gratiam tui omnes ieunabimus (3).
Ble. Ne paveas, helluo: bene obsonabimus.
Stra. Non aedepol credam. Ble. Non credis, verbero,
Iam faxo, credas. Ad macellum abi cito,
Suillam compara. Stra. Unde, quaeso, comparem?
Ble. Ex lanio. Stra. Mirum ni dicas immo medico.
Sed qua pecunia? Ble. Mea pecunia. [tia (4)!
Stra. Sed non promis? Ble. Modo promam: quae petulan-
stra. Sed quanti emam? Ble. Decem pondo. Stra. O mi-
rabile
Dictu! (5) Ble. Sed ni taces, tibi comminuam caput (6),
Bellua. Stra. Iam en taceo (7). Ble. Ausulta dum, quae
[ad proximum numerum]. [iussero.


(1) *Laborem simulat in reduendo pessulum.* — (2) *Fores recludit et exit cum Stratilace.* — (3) *Ridicule et ironice.* — (4) *Irate loquitur.* — (5) *Ludens et irridens.* — (6) *Baculum erigit.* — (7) *Manus complicata audiendu.*

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.


ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem
in germanicis Officinis fabricatum



sociisque Commentarii Vox Urbis
qui subnotatores novos
acquisiverint duos
praemio constitutum



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula
baptismalem pompam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)
sociis omnibus qui novum unum acquisiverint
gratuita donatur.

NUMISMA

iubente Consilio Centrali
ad
Pii PP. X Sacerd. Jubilaeum
celebrandum

expresse descriptum ei cusum

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6
ubique extra Italiam Libell. 9
(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad
Pii X P. M. Inbilaeum Sacerdotale cele-
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

Novi subnotatores singuli

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,
quod socii, qui iam superioribus annis ha-
buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diribitorii expensas
resarcendas addiderint.

Qui socium novum acquisiverit unum, eiusque subnotationis
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc
tamen et sequentibus praemiis bibliopolae excipiuntur.

Qui socios novos acquisiverit duos

ut supra, horologium sibi
habebit in Germanicis of-
ficinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres

eorumque subnotationis pre-
tium miserit, a pretio suo
solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit ante Iulium
mensem, di-
midiatum pretium itineris habebit ab Itiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios novos coegerit quinquaginta, ut supra, eodem
itineri gratis om-
nino gaudebit.

BIBLIOTeca
VATICANA

BIBLI
CAN

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratis sumptuum aestimatio fiet.

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quæ sequuntur opera venundantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proiecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1.80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Rakowskie Przedmieście, 15.

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.